Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 1037
Quelle:
Copyright:

detur, et fortaſſis in Cauſſa *Coloniensi* ſerviit. Non negliget haec, ſi quis olim ad *Baluzianam* Editionem ſpicas legerit.

CCCCXLI.

R.83 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 204. f. per duas columnas ſplendide exaratus, literis initiorum cubitalibus picturatis, paſſimque coloribus diſtinctus, et quondam *S. Seuerini de Neapoli*, ut in ſumma ora *pag. 1.* notatur, hunc titulum miniatum praefert: *Incipit prologus origenis pluriumque doctorum in canticum canticorum Salomonis.* Initium: *Notandum in primis. Quod in hoc libro Oſcula Vbera Gene femora ponuntur. In quibus uerbis non eſt irridenda. ſed ueneranda ſacra deſcriptio.* Subjicitur rubro: *Explicit prologus. Incipit Siraſirin id eſt. Canticum canticorum. Salomonis. Vox eccleſie.* Indicavi *Catenam* hanc nexam ex *Origene*, *Gregorio M. Juſto* Ep. *Urgellitano* et *Anonymo* e Codice minus bene ſervato, a quo tamen praeſens Exemplum non ſemel diſcrepat. Ita ſtatim in principio Verſus I. *Oſculetur me* &c. ibi exponitur ex *Origenis Comment.* priore ab *Hieronymo* verſo, qui legitur *Origenis Opp.* Edit. *Maur.* T. III. *Pariſ.* 1740. p. 12. f. et *Hier. Opp.* Edit. *Vallarſ.* T. III. *col.* 501. et incipit: *Oſculetur* &c. *Vox eſt ſinagoge. aduentum chriſti deſiderantis et inprecantis. Quaſi dicat. Quo usque ſponſus meus. mittit michi oſcula per moyſen* &c. In praeſenti vero Exemplo Expoſitio *Origenis* tertia eſt, et eam praecedit Expoſitio *Anonymi*, et *Gregorii* e L. *Moralium* XIII. Expoſitio porro *Anonymi* ſic infit: *Cum enim dominum deum omnipotentem ut oſculo oris ſui te oſculetur rogas, ut filium ſuum unigenitum de uirgine incarnari faciat rogas* &c. Atque in hac Expoſitione libenter vidi citari verſus:

Quem ſitio uotis. nunc oſcula porrigat oris.
Quem dudum (mihi) *uenturum prompſerunt organa uatum.*
Nunc ipſe (et) *per ſe et preſens dignetur adeſſe.*
Oſcula prebendo. ſua dulcia uerba loquendo.

qui ſunt carpti e *Paraphraſi metrica Canticorum Willerami* noſtri Abb. *Ebersberg.* in *Bajoaria* Sec. XI. Unde fieri poſſit, ut Vir hic ſuis in *Cantica* laboribus lat. et theotiſc. de quibus *Volum.* priori egi, *Catenam* iſtam tanquam συμβολων, adjecerit. Variat illa ab Exemplo ex alio *Codice* cit. etiam in fine; ita enim concludit: *Que felicitas illis conceditur. qui contemptu terreſtrium. et gaudiorum appetitu celeſtium. appellari ſpiritualium montes aromatum merentur. Ipſo preſtante qui uiuit et regnat* &c.

II. *fol.* 76. p. 2. ſequitur: *Sermo domni Benedicti monachi de compunctione lacrimarum.* Initium: *Kariſſimi fratres. ſi agnoſcimus miſeriam*